Programm

der

von der

Familie von Witzleben

gestifteten

Klosterschule Roßleben.

Inhalt:

1. Eine Abhandlung [redacted]: Videri Homerum commemorare res bello Troiano inferiores.
2. Jahresbericht vom Rektor für den Zeitraum von Ostern 1858 bis Ostern 1859.

Halle,

Druck der Waisenhaus-Buchdruckerei.

1859.

Videri Homerum commemorare res bello Troiano inferiores.

Scripsit

B. Giseke.

C. Velleius Paterculus in introitu operis sui de primordiis Graeciae verba faciens pauca quidem disputat, sed subtiliter atque ita ut appareat ex iis quae eo pertinent multa tum temporis in hominum ore fuisse quorum memoria ad nos non pervenit. Neque potuit illa qua Velleius vixit aetas non abundare cognitione multarum rerum quae valerent ad illustrandum priscum Graeciae statum, cum tot libri quibus nos caremus legerentur essentque in oculis omnium praeclarissima monumenta ex quibus quae in singulis urbibus regionibusve antiquitus gesta essent facile dignosci posset. Sed ex magna eorum quae in promptu essent copia Velleius cum aliud ageret pauca commemoravit, alia praeteriens attigit magis quam copiose narravit. Atque huc illud quoque refero quod est de Homero. Dixit enim ab Homero urbes quasdam appellari iis nominibus quibus vocari coeptae essent multo post Ilium captum. Hoc si fecit poeta quae aetate infra bellum Troianum essent retulit ad huius tempora, contra historiae fidem ad quam res eius belli eum narravisse semper existimaverunt Graeci: et eadem re eam qua ipse vixit aetatem quodam modo videtur indicare. Quodsi iure dolemus quod Velleius brevitati studens noluit urbes enumerare quorum nominibus hoc modo uti intellexit Homerum: quaerendum videtur de singulis urbium gentiumve nominibus qua ratione quove iure ad belli Troiani tempora referri posse videantur. Et quamvis sentiam opus esse magnum neque hic posse absolvi, nonnulla tamen quae huc faciunt hac scribendi occasione data colligam.

Notissimum est illud de Boeotis, quos constat sexaginta fere post bellum Troianum annis in eam regionem pervenisse quam vocamus Boeotiam. Non potuerunt igitur e Boeotia Troiam venire ut Homerus putavit. Sensit hoc Thucydides atque ut rem explicaret dixit partem Boeotorum quam postea ceteri secuti essent iam belli Tro-

iani tempore sedes habuisse in Boeotia. Et pars sane Cadmeorum, qui arctissimis et consanguinitatis et societatis vinculis cum Boeotis coniuncti erant, remanserat cum ceteri ab Argivis victi inde discederent. Sed non hoc dicit Homerus: ut qui quamvis recte significet urbem Thebas incolis caruisse cum ad Troiam pugnaretur, universam tamen fere Boeotiam in Boeotorum potestate fuisse statuat. Qua re error videtur esse poetae ad tempora Troiana referentis quae multo post acciderunt.

Secundo loco Corinthum ponam quam Velleius solam commemoravit multoque ante eum scriptorem Aristarchus intellexerat huc pertinere. Variis nominibus antiquitus dicitur appellata esse Corinthus: Heliopolis Pagus Ephyre postremo Corinthus [1]). Ferunt Solem aliquando in hac regione regnasse atque etiam cum Neptuno de eo regno disceptasse, Briareo arbitro [2]): huc spectat nomen illud Heliopolis quod haud scio an nunquam in ora hominum venerit. In fabulis enim Ephyren solent vocare. Atque hoc nomen ab Ephyra quadam urbs fertur traxisse: quam ut videtur Eumelus qui ipse Corinthius fuit, Oceani Thetyosque filiam esse dixit uxoremque Epimethei [3]): Solem deinde narrant [4]) filiis suis Aeetae Ephyraeam, Aloeo Asopiam dedisse, postea Aloei filium Epopeum Ephyraea quoque potitum esse: huius vero filium Marathonem iterum filiis duobus regnum reliquisse Sicyoni Asopiam, Corintho Ephyraeam: atque hoc modo factum esse ut Corinthus appellaretur quae antea fuisset Ephyre: tum Corintho mortuo Medeam Aeetae filiam arcessitam esse in regnum paternum: hanc denique Corintho abeuntem Sisypho et urbem et regnum tradidisse.

Satis patet non admodum probabiliter haec ficta esse aut omnia aut certe pleraque. Videtur enim nescio quis priscis fabulis addidisse Corinthum illum quem Marathonis filium esse volunt, notissimo illo explicandi artificio ut antiquis temporibus fuisse diceret quae aliter aut nollet explicare aut non posset. Qua in re eorum qui fabulas narraverunt nemo eum secutus est. Est enim in fabulis Sisyphum, quem ille multo post Corinthum regnasse dixit, et qui genus ducunt a Sisypho Ephyrae vixisse non Corinthi. Ita Homerus quoque de genere suo praedicantem fecit Glaucum. Qua de causa nescio an melius Velleius dicat Corinthum ab Alete demum Hippotis filio conditam esse et appellatam: Aleten vero reliqua Peloponneso a Doribus subacta cum suis ad Isthmum venisse pulsisque qui ibi habitabant Aeolibus hanc quoque regionem in Dorum ditionem redegisse [5]). Atque hoc ipsum Homerus quoque non obscure significavit: Glaucum enim qui ea aetate vixisse putandus est qua Corinthi nomen nondum auditum erat Ephyres nomine utentem facit, ipse vero Corinthum non

---

1) Steph. *Ἡλιούπολις. Κόρινθος.* Eust. Il. B 570.
2) Paus. II; 1, 6.
3) Paus. II; 1, 1. schol. Ap. IV; 1212 cf. Hecat. 90. ap. Steph. *Κόρινθος.*
4) Paus. II; 3, 8.
5) cf. O. Müll. Dor. I; 88.

dubitavit appellare [1]): aptissime igitur distinxit inter heroum aetatem et suam. Quodsi hac in re cautissime versatus est poeta ne nimis turbaret rationem temporum: non tamen eandem cautionem adhibuit in re simili. Quam ut exponam paullo altius repetam.

Lemnum scimus a duobus populis habitatam esse, Minyis et Pelasgis quos Tyrrhenos vocant: Pelasgos e Boeotia in Atticam, inde armis ut videtur expulsos Lemnum venisse. Multa de iis narrant scriptores: fuerunt enim Pelasgi habilissimi ad ferrum cudendum, quam ob rem eorum insula putabatur sacra esse Vulcano: rostra tubas hastas dicuntur invenisse, moenia et domus primi exstruxisse, navigandi denique peritissimi fuisse. Itaque cum navibus multum valerent, piraticam faciebant summisque cruciatibus afficiebant si quem cepissent. Omnium maxime Athenienses iniuria lacessiverunt postquam ex eorum terra pulsi sunt. Nam cum scirent ex universa Attica certa die feminas Brauronem conventuras ad sacra facienda Dianae: navibus profecti multas rapuerunt raptasque in matrimonio habuerunt. Quae de his Pelasgis, eadem de Sintibus narrantur omnia. Hos quoque ferunt Lemni sedes habuisse, feminas Braurone rapuisse, piraticam fecisse, fabros fuisse optimos famulosque Vulcani. Itaque qui Tyrrhenorum nomen a tyrannis ductum esse putant propter crudelitatem, iidem Sinties a nocendo vocatos esse dicunt quod Graecis est *σίνεσθαι.* Non enim differunt [2]) Sinties a Pelasgis s. Tyrrhenis. Philochorus [3]) eos dicit esse Pelasgos, Hellanicus [4]) Thraces. Neuter iniuria. Cum enim Pelasgorum variae essent gentes quarum una fuerunt Sinties, factum est ut modo Sinties modo Pelasgi appellari potuerint. Constat vero in ea regione Thraciae sive Macedoniae quae est inter Strymonem et Axium sedes habuisse et Pelasgorum eos qui Crestoniatae appellantur et Sinties [5]). Utrosque proxime attingunt Paeones qui aliquando in Thraciam immigraverunt magnaque agrorum parte potiti Thraces expulerunt. Pelasgi vero et Sinties non advenae sunt sed indigenae: quare non locorum tantum vicinia videntur esse coniuncti sed consanguinitate quoque et stirpe. Cum vero Sintium nonnulli ex iis locis discessissent primum in Boeotiam venerunt, Pelasgi vocati, atque inde ut dixi in Atticam et postremo Lemnum. Hi sunt quos supra commemoravi Sinties sive Pelasgi. Lemnum autem venerunt non ita multo ante quam Iones colonias deduxerunt in Asiam. Constat enim e Boeotia Pelasgos discessisse expulsos a Boeotis, Boeotos vero iis regionibus potitos esse putamus octoginta fere annis ante quam Iones Nelo Androcleque ducibus in Asiam profecti sunt. Et Pelasgos postquam e Boeotia exierunt

---

1) Z 152. 210. B 570. N 664 cf. Lehrs, Arist. p. 236.

2) Pluribus de hac re egi in libro nuper edito qui inscribitur: Pelasgisch-thrakische stämme der Balkanhalbinsel und ihre wanderungen in mythischer zeit. cf. O. Müll. Orch. 295 s. 430 s.

3) Schol. Hom. A 594. cf. schol. Apoll. I; 608.

4) Schol. Hom. ϑ 294.

5) Thuc. II; 98. Strab. VII fr. 36.

triginta fere annos in Attica sedes habuisse probabili coniectura statuit O. Muellerus [1]). Sequitur ut putemus eos Lemno potitos esse quadraginta fere vel quinquaginta annis ante quam Jones Athenis exierunt, nonaginta fere vel centum annis postquam Jlium captum est ab Agamemnone.

Hoc Homerus videtur neglexisse: facit [2]) enim Vulcanum in concilio deorum narrantem se a Iove e coelo deiectum Lemnum venisse ad Sinties et rursus [3]) Martem Veneri nuntiantem Vulcanum domo abiisse ut Lemnum se conferret ad Sinties: qui quo tempore haec aguntur nondum in eam insulam pervenerant. Atque simile quodam modo illud est quod de Boeotis supra dixi. Hos enim poeta dixit Troiam venisse ex iis regionibus quas occupaverunt sexaginta fere annis post Troica, Sinties eodem tempore putavit sedes habuisse in insula quam centum fere annis infra attigerunt. In utraque re ita erravit poeta ut quae ipsius aetate esset rerum conditio eandem belli quoque Troiani tempore fuisse putaret. Sed fatendum est cavisse eum hac in re ab alio errore in quem facile poterat incidere. Sinties enim sive Pelasgi a Graecis etiam Tyrrheni vocantur: et saepe ita ut ad Boeotiam quoque vel Atticam referatur hoc nomen, quod non videtur iis impositum esse nisi postquam Lemni consederunt. Atque utitur eo nomine hymnus ille in Dionysium qui fertur in Homericis. Homero quoque vel quisquis has de quibus dico partes Iliadis et Odysseae composuit id nomen notum fuisse verisimile est: sed maluit poeta uti prisco illo Sintium nomine quod non multum in hominum ore fuit neque legitur apud rerum scriptores: proprium enim est poetarum vel eorum qui poetas interpretantur.

Sed pergo ad aliud quod eodem fere spectat. Aenus fuit urbs in ora Thraciae sita, inter ostium Hebri fluvii sinumque qui vocatur Melas. Nomen urbis primus Homerus commemoravit: dixit enim [4]) Piroum Aeno oriundum Troiam venisse ut auxilium ferret Priamo. Sed antiquitus ei urbi non Aeno sed Poltymbriae fuisse nomen Strabo et Apollodorus memoriae prodiderunt [5]): quare dubitari potest quo iure Homerus eo nomine usus sit.

Incertum est num Poltymbria dicenda sit an Poltyobria. Utrumque enim in libris legitur: hoc Kramerus recepit, illud Meinekius. Sed sive Poltyobriam appellamus sive Poltymbriam, est certe urbs Poltyis: apud Thraces enim ut videtur βρία urbem significat. Ita Mesembria urbs Pontica, Megarensium colonia, proprie Menebria vocabatur sive Melsembria, urbs Menae sive Melsae a quo fertur esse condita. Sed cum homines Graece loquentes facile lateret verbum priscae et quasi peregrinae

---

1) Orch. 302.
2) Δ 594.
3) ϑ 294.
4) B 844 c. schol. Δ 520.
5) Strab. 319. Steph. Αἶνος.

significationis, ut saepe fit in talibus, abiit ea vox in meridiei vocabulum, notissimum illud quidem sed hac in re satis ineptum. Sunt aliae quoque urbes similiter appellatae. In Propontide est Selymbria sive Selyis urbs quam nos Silivria vocamus: est altera quoque Mesembria e regione Samothraces sita in ora Thraciae, per quam Xerxes iter fecit [1]) cum Graecis bellum inferret: sunt denique Galabrii pars Dardanorum qui in interiore parte Thraciae sedes habebant prope fontes Drilonis [2]). Scimus apud Celtas quoque magnum inveniri numerum urbium quorum nomina cadant in syllabas briga. Videtur vox earum gentium linguis urbem vel vicum significare. Quae similitudo et a nostrae aetatis viris doctis notata est neque Stephanum fugit Byzantinum qui bis [3]) Hispaniae urbes comparavit cum his nominibus. Quod num recte fiat an secus nunc non curo.

Patet Poltymbriam urbem esse Poltyis, Neptuni filii ut ferunt: quem hominem esse barbarum et nomen arguit et iudicii ut ita dicam stultitia videtur comprobare. Rapta enim Helena cum tota Graecia iracundia exarsisset, Troianis constanter negantibus se satisfacturos esse Menelao: factum est ut dum bellum ab utrisque summa virium contentione paratur legati Aenum ad Poltyem venirent et Troianorum et Graecorum. Quibus ille ut bellum quod iam imminebat componeret benignius quam subtilius respondit duas se pulchras feminas Alexandro daturum si is Helenam Menelao reddidisset [4]), quasi feminis egeret cui ipsa Venus faveret. Qua in re etsi longe afuit a Graecorum elegantia et venustate homo rusticus, habet tamen quandam benevolentiam atque benignitatem, qua caruisse dicitur frater eius Sarpedon. Nam cum Hercules Amazonibus victis in Graeciam reverteret atque in hanc oram delatus esset, Poltys eum hospitio excepit, Sarpedon vero tanta animi superbia se gessit ut Iovis filius iratus eum sagittis necaret. Haec Apollodorus [5]) narravit qui cum conscriberet librum suum, Aenum quae urbs fuit Poltyis prisco nomine Poltyobriam videtur appellasse. Nam, nisi fallor, Stephanus [6]) cum Apollodori librum legeret hoc nomen invenit: in nostris libris nihil habemus nisi Aenum. Videntur igitur ex quo Stephanus usus est hoc loco mutata esse verba Apollodori. Vix enim crediderim in alio libro Apollodorum Poltyobriam dicturum fuisse, si hic Aenum vocasset [7]). Sed hoc nunc mitto rediturus ad meam disputationem.

---

1) Her. VII; 108.
2) Strab. 319. 316. Steph. *Μεσημβρία. Σηλυμβρία.* Olybriae quoque nomen habet Suidas v. *Ἐπιφάνιος.*
3) Steph. *Τενέβριον. Βρουτοβρία.*
4) Plut. reg. et. imp. apophth.
5) II; 5, 9.
6) v. *Αἶνος.*
7) Ceterum non est dubium quin Stephani quoque verba mutata sint: nam quae ultimo fere loco leguntur: *ταύτην Ἀπολλόδωρός φησιν ὠνομάσθαι Πολτυοβρίαν* cum de Aeno ad

Quam igitur urbem Aenum dixit Homerus, ea Troiani belli tempore proprie vocabatur Poltymbria. Neque Aeno discessit Pirous cum Troiam proficisceretur sed Poltymbria. Sed hoc nomine barbaro longeque remoto a versus Homerici elegantia certe non potuit uti Homerus. Debebat aut plane dimittere commemorationem aut Graeco nomine appellare quae nondum erat Graeca. Quae si ita sunt videtur quaerendum esse quando coepta sit vocari Graeco nomine. Id ut faciam rem ordior a fabulis: nam vix ulla res est apud Graecos quae fabulis vacet.

Callimachus et Euphorion [1]) narraverant Aenum nomen traxisse a socio Ulixis illic sepulto eo tempore quo missus est ad frumenta portanda. Haec haud scio an neminem valde moveant. Variis enim modis poetae operam dederunt ut quae belli Troiani partes omissae viderentur ab Homero eas ipsi pertexerent. Hoc in genere permulti versantur: cyclici, lyricorum non pauci, tragici, Alexandrini denique. Atque postquam ea quae de illis rebus antiquitus memoriae prodità essent enarrata fuerunt omnia: qui inferiores aetate erant poetae debebant aut repetere quae ab aliis dicta essent aut nova invenire. Choerilum scimus questum esse quod ab aliis praeoccupatae et quasi praereptae essent suavissimae fabularum partes. Itaque multi eo deducti sunt ut de quibus scirent nihil esse memoriae proditum, ea probabiliter invenirent. Atque frumento opus fuisse Graecis dum per decem annos Troia oppugnatur necessario concedendum, missos igitur homines ad comportandum non aliter: quamquam mythorum ea est natura ut talia non curent. Eorum hominum autem ut unus esset nomine Aenus qui diem supremum obiret sepeliretur que prope Hebrum fluvium, poterat sane fieri, sed factum esse neque Callimachus cognitum habuit neque Euphorion. Nihil de ea re qui primus narravit compertum habuit, sed ipse rem excogitavit. Saepe talia fieri lateque patere apud Graecos hoc genus fabularum quae versantur in explicandis nominibus nemo est qui nesciat. Itaque ad alteram narrationem transeo quae in fabulis est de Aeni nomine.

Hellanicus quem scimus diligentissime veteris famae conquisivisse vestigia apud Dionysium Halicarnassensem [2]) narrat: urbe Troia diruta Troianorum nonnullos Aenea duce fugientes venisse in peninsulam eam quae pars est Chalcidices sinui Thermaico adiacens vocaturque Pallene, ibi sedes habuisse Crusaeos socios amicosque Priami, ab his Aeneam benigne exceptum aliquamdiu in ea regione commoratum esse dum naves reficeret animosque suorum confirmaret urbemque condidisse in qua

---

Hebrum dicta sint melius transponerentur hoc modo. *καὶ κτίσμα Κυμαῖον· ταύτην Ἀ. φ. ὠ. Π.* Haec vero Apollodorum in bibliotheca quam vocamus dixisse ut credam movent me Photii maxime verba cum contineri eo libro dicat nomina omnium terrarum gentium urbium (142 a 41): quamquam non negaverim in geographicis quoque Apollodorum de pristino Aeni nomine verba facere potuisse.

1) ap. Serv. Aen. III; 16. cf. Welcker cycl. ep. II; 109.

2) A. R. I; 47. 49.

relinqueret si qui aut infirmiores essent viribus aut timidiores. Haec est urbs Aenea ad sinum Thermaicum posita quam incolae ipsi quamvis Graeci [1]) essent ferebant ab Aenea conditam esse. Multis enim annis post cum Thessalonice conderetur a Macedonum regibus multarumque urbium incolae in novam urbem traducerentur, Aeneates quoque sedes mutare coacti sunt. Qui quamvis Thessalonicae habitarent, remoti a patria, ita non obliti sunt vel urbis vel conditoris ut quotannis statis diebus in agros Aeneae profecti Aeneae gentis suae auctori cum magna caerimonia sacra facerent [2]). Hanc igitur, si quid veri fabulae habent, Aeneas condidisse putandus est urbem. Sed cum et parva esset atque procul remota ab hominum commercio et iam Macedonum temporibus incolis carere coepisset, non multum venit in hominum notitiam: ita Scymnus (627) promontorium esse dixit non urbem. Contra Aenus de qua supra dixi hodie quoque habitatur semperque in multorum ore fuit: posita enim est qua ex Asia itur in Macedoniam atque Graeciam. Hinc factum est ut et magni exercitus iter facerent per eius agros, ut Xerxis, atque privatorum hominum permulti et a Romanis via militaris exstrueretur quae Aenum indeque in Asiam ducebat [3]). Quae cum ita essent effecit nominum illa similitudo quae intercedit inter Aenum et Aeneam ut si qui imperitiores essent earum regionum, Aeni facta esse crederent, quae Aeneae acciderant. Ita erraverunt Ammianus Marcellinus, cuius tempore haud scio an Aeneae memoria fuerit prorsus nulla, atque Pomponius Mela homo Hispanus ab accurata horum locorum cognitione longe remotus [4]), primus vero ut opinor Q. Lutatius cuius narrationem Heynius laudavit hanc: „Aeneam primum Thraciam appulsum Aenum ex suo nomine condidisse, dein cognita Polymnestoris perfidia ex Polydori nece inde digressum.“ Graecorum quod sciam primus in eundem errorem incidit Conon [5]) cuius universa narratio documento est leviter hac in re versatum esse hominem iucunditatis studiosiorem quam veritatis. Troia enim in sinum Thermaicum (ipse Thermum vocavit) atque in regionem Brusiadem [6]) profectum Aeneam dixit urbem condidisse Aeneam, quae postea mutato nomine Aenus appellata esset. Hoc ille dixit quasi quae sunt duae urbes non essent duae sed una: quamquam vel sic recte indicavit non ad Hebri ostium urbem conditam esse ab Aenea sed prope sinum Thermaicum. Magis etiam quam Conon hac in re alucinatus est Tzetzes cuius verba non opus videtur referre [7]). Rectius et alii scriptores Graeci utramque distinxerunt ut Herodotus [8]) et

---

1) Scyl 67, b.
2) Liv. XL; 4.
3) Sallust. ap.Serv. Aen. III, 1. cf. Plut. Cat. min. 11. Antiph. Ἡρ. φό. 20. 78.
4) Amm. XXII; 8, 3. XXVII; 4, 13. Pomp. Mel. II; 2. cf. Procop. aedif. IV; 11.
5) Con. 46.
6) Crusiadem Tafel scripsit, qua in re non satis liquet utrum scriptorem correxerit an librarios.
7) Tz. Lyc. 1236. 1263. cf. Il. 10, 2.
8) Her. VII, 58. 123. Steph. Αἴνεια.

Romanorum si qui sunt accuratiores. Ita Plinius quem certe non fugerat haec fama ubi de Aeno verba fecit [1]) noluit addere ab Aenea conditam esse urbem. Servius autem [2]) multos ita narrare dixit significaturus sibi aliter videri. Cautissime vero hanc rem Vergilius attigit, poeta doctus accurataque imbutûs fabularum cognitione. Nam cum deberet mentionem facere rei inter populares vulgatae locum quidem quo urbs sita est significavit satis obscure, nomen vero addidit Aeneae. Facit enim [3]) Aeneam loquentem: Aeneadasque meo nomen de nomine fingo. Hoc enim Aeneadarum nomine non Aenum dixit cuius incolae Aenii [4]) sunt, sed Aeneam quam Graecorum quoque nonnulli simili nomine appellaverunt [5]). Videtur Vergilius cum sciret Aeneam urbem Aeneae esse non Aenum, voluisse verba facere obscuriora ne aut silentio transiret quae multis viderentur esse vera aut verum dicendo adversaretur vulgari opinioni. Quodsi erravit, sciens videtur errasse atque coactus quodam modo aliorum errori addidisse suum [6]). Patet vero in his fabulis nihil inesse ex quo cur nomen urbis mutatum sit intellegamus: quare ad rerum scriptores pervenio.

Fuit Aenus urbs Aeolum [7]). Eam primi Alopeconnesii dicuntur condidisse, post colonis auxisse atque firmasse Mitylenai atque Cumani: quam ob rem Scymnus Mitylenaeorum, Stephanus Cumanorum, Strabo utrorumque dixerunt esse Aenum [8]). Constat vero Aeoles cum in Asiam proficiscerentur non recta transmisisse mare Aegaeum sed diu multumque errasse postquam e Graecia discesserunt: quamquam ambigitur de via qua se contulerint in Asiam. Nam cum Strabo (582) dicat Penthilum Orestis filium Thracia tenus progressum esse (*προελθεῖν μέχρι Θρᾴκης*), fuerunt qui putarent pedibus per Thraciam iter fecisse Graecos homines navigandi peritissimos. Hoc cum non potuerit fieri, alii non eam Thraciam intellexerunt quam solemus vocare, sed illos Thraces qui aliquando in ipsa Boeotia sedes habuerunt: quamquam numquam videntur Graeci ita locuti esse. Equidem neutrum recte dictum esse crediderim. Nam si qui sunt inter Graecos qui cogitarint de terrestri itinere, in errorem eos induxit caussa levissima. Argos enim Oresticum quod in Macedonia est putabant ab Aeolibus conditum esse Oreste duce in Asiam proficiscentibus. Inter hos certe non fuit Strabo qui nihil dixit nisi commoratos esse Aeoles in aliqua

---

1) Plin. h. n. IV, §. 43.
2) Serv. Aen. III; 1.
3) Verg. Aen. III; 18.
4) Liv. XXXVII; 33. Scyl. 68, b. Thuc. VII; 57. Plut. Cat. min. 11. legitur Aenei apud Livium XXXI, 31. Suidas *Αἶνος· Αἰνίτης ὁ πολίτης* quamquam alio loco (*ἀπονεύω*) legitur *Αἴνιοι*.
5) schol. Hom. V. 459. Tz. Lyc. 1263. Steph. *Αἴνεια*. Suid. *Αἰνειάδες*.
6) cf. Heyne exc. I. ad Verg. Aen. III. Vales. ad Amm. XXII; 8, 3. Klausen, Aeneas I; 341. Rochette II; 353.
7) Thuc. VII; 57. Her. VII; 58. Eust. Dion. 538.
8) Strab. VII, fr. 52. Steph. *Αἶνος*. Suid. *Ἀλωπεκόννησος*. Harpocr. *Αἶνος*. Scym. 697.

regione Thraciae. Quare dum cavemus ne eum dicere credamus quae non dixit quaeque putandus est noluisse dicere: quaerendum videtur quamnam partem Thraciae dicat geographus. Vulgata vero fabula est navibus iter fecisse Orestis filios cum Aeolibus [1]). Id si eadem via fecerunt qua Ulixes in patriam redire conatus est, ita ut oram legerent Thraciae, poterat fieri ut Thracia tenus progressi aliquamdiu consisterent: hoc ipsum significavit Strabo. Cum enim novas sedes quaererent incerti ubi invenirent: necessario accidit ut huc illuc naves appellerent atque si quis locus idoneus visus esset eum occuparent. Neque omnes simul navigabant sed magnis intervallis alii post alios: neque ita e Graecia discesserant, ut societatem eorum qui remansissent aspernarentur planeve abstinerent ea coniunctione quae apud omnes gentes intercedere solet inter colonias terramque patriam. Sed intererat eorum ut si longius processissent oppidis hic illic muniendis praesidia relinquerent quae stationes essent iis qui eadem via aut sequerentur aut redirent. Id vero Aeni maxime factum esse consentaneum est quia aptissima atque quasi necessaria ea fuit statio iis qui secundum litus Thraciae proficiscuntur in Asiam. Nam quae inde a Chalcidice porrigitur ora ut difficillima sit aditu efficit natura loci, cum montibus proxime ad mare accedentibus perexiguum spatium relinquatur orae: quod qui tenent cum sint in loco aperto vix habent quo se tueantur a Thracibus gente validissima praedaeque cupidissima. Aenus autem in peninsula posita est longe prominenti quae spectat inter Hebri ostium atque sinum Melanem, tutiorque est ab hostium incursu quod una tantum parte aditur et facile navibus defenditur. In eadem Thraciae parte praeter Aenum Aeoles Alopeconnesum atque Sestum condiderunt in Chersonneso Thracia positas: quas eodem consilio sibi videntur adiunxisse ut facilis via esset e Graecia navigantibus in Asiam. Quo denique tempore conditae sint hae urbes nihil memoriae proditur, videntur vero non multo post Cumam ceterasque Asiae urbes conditae esse vel etiam eodem fere tempore.

Iam videamus de nominis origine, quod nisi a Graecis vix videtur dari potuisse. Fuere qui a vino quod in iis regionibus optime provenit nomen traxisse putent Oeni mox corrupta vocali Aenum vocatam esse. Sed et Oenoe vel tale quiddam appellanda erat, mutantur enim talia si ad locorum nomina traducuntur: neque syllaba *οἰ* ita corrumpi solet, qua re ad alia confugiendum est.

Est Aenus mons Cephallenes [2]), unde Iupiter vocatur Aeneius. Ceteras eiusdem nominis regiones Stephanus [3]) recenset: inter quas quinto loco commemorat quae

1) Strab. 401. Paus. III; 2, 1.
2) schol. Apoll. II; 297.
3) Steph. v. Αἶνος.

fuit prope Thapsacum, sexto insulam adiacentem Arabiae felici. Utramque non ipsi indigenae sed Graeci videntur ita appellasse, postquam Alexander in Asiam profectus eas terras aperuit. Eam vero Aenum [1]) de qua nunc quaero Stephanus dixit nomen duxisse ex urbe quadam cognomini quae fuit in Thessalia prope montem Ossam. Sedes ibi habuisse dicitur Aenus quidam, Gunei filius. Guneum vero Homerus dixit cum ad Troiam pugnaretur regem vel ducem fuisse Perrhaeborum atque Aenianum [2]). Itaque coniungenda sunt haec nomina: primum *Αἶνος* nomen urbis atque viri qui putatur auctor esse gentis, deinde quae iam nunc addo *Αἴνιος* et *Αἰνία*, denique *Αἰνιᾶνες* sive Ionum more *Αἰνιῆνες* vel *Ἐνιῆνες* [3]). Est quaedam similitudo nominum quae cadant in eandem syllabam ut Athamanum Azanum Acarnanum Eurytanum. Circa Thessaliam maxime talia inveniuntur, non tamen omnia videntur ducta esse ab urbe sive vico ut nomen Aenianum, quod certe non potest separari ab Aeno.

Varii cum fuerint Aenianum casus, quos hic enumerare longum est, ea tantum commemorabo quibus opus est ad meam disputationem. Namque antiquissimis temporibus eos cum Perrhaebis sedes habuisse ad Titaresium auctor est Homerus [4]). Is fluvius in confinio Macedoniae atque Thessaliae ortus in Peneum effunditur prope montem Cyphum: ibi fluvius fuit Aenius atque urbs nomine Aenia quae Perrhaeborum facta est postquam Aenianes inde discesserunt [5]). Aenianes enim Peneum transeuntes primum sub monte Ossa consederunt, qui locus appellatur campus Dotius attingitque a meridie Boebeïdem lacum [6]). Ibi Aenianes urbem habuerunt Aenum de qua supra dixi fluviumque cognominem. Sed cum inde quoque expulsi essent diu erraverunt variasque sedes habuerunt, donec iussi ab Apolline Delphico in eam regionem pervenerunt per quam fluit Sperchius amnis. Sita ea est in confinio Thessaliae et Locridis inter montes Oetam atque Othryn. Ibi cum Doribus Maliensibusque bellum gesserunt occupataque per vim agrorum parte sedes habuerunt prope fontes Sperchii in ipso monte Oeta: unde a multis Oetaei vocati sunt nomine gentis a loco quo potiti sunt ducto.

Apparet accidisse Aenianibus quod permultis Graeciae gentibus sub idem fere tempus. Etenim cum permultae antiquitus in Graecia essent gentes eaeque belli-

---

1) Cognomen habuit Apsinthi. Cum enim plures essent eiusdem nominis hanc distinxerunt addito nomine gentis in cuius finibus sita erat.

2) B. 749.

3) De varia nominis Aenianum forma egerunt Herm. ad Soph. El. 696. et Poppo ad Thuc. I; 2, 303. cf. Eust. ad Hom. B 749.

4) B 749 cf. Strab. 442.

5) Steph. *Αἰνία*.

6) Strab. 61. 442. Plut. qu. gr. 13. 26. Steph. *Αἶνος*.

cosissimae atque earum nonnullae nescio qua caussa cogerentur finibus exire: factum est ut dum novas sedes quaerunt rursus alias agris spoliarent cogerentque solum vertere donec ea commutatio ad universas fere pertinuit. Itaque quae antea in Graecia floruerant civitates earum multas videmus concidere atque exstingui, contra nova exoriri gentium vocabula alia ex aliis, migrationes denique populorum fieri permultas. Neque intra Graeciae fines se continuerunt atque quasi compositi sunt illi motus, sed ingens multitudo eorum qui pristinis sedibus amissis non invenirent novas, se effudit in Asiam. Inter hos primi fere fuere Aeoles: quos constat antequam naves solverent diu commoratos esse in Boeotia et prope montem Phricium situm in confinio Locridis Thessaliaeque. Atque dum circa ea loca expeditionem parant ex variis Graeciae partibus mistam hominum turbam collegisse dicuntur.

Soluto enim multifariam per tot bella vinculo illo quo antiquis temporibus hominum gentes solent constringi deletisque ad internecionem fere multis Graeciae populis: factum est ut ex universa Graecia ad societatem eius quae circa Boeotiam parabatur expeditionis convenirent homines variae originis atque alii aliis linguis utentes [1]): qui cum in Graecia agros non haberent sperabant se in Asia novis sedibus potituros esse. Ita Boeotorum quoque, cui genti contigerat terra potiri fertilissima, permulti cum Aeolibus se coniunxere [2]): Magnetum porro qui in Thessalia sunt non pauci [3]) aliique eorum quos Thessali agris privaverant, ut Theseus ille qui genus duxit ab Eumelo Admeti filio.

His addo Aenianes quos partem fuisse Aeolum scimus [4]). Huc enim spectat quod Stephanus dixit Aenum quae est in Thracia nomen traxisse ab ea quae est prope Ossam. Moris enim ut videtur fuit Aenianibus ut urbes haberent cognomines. Itaque ad Titaresium quo loco antiquissimis temporibus sedes habuerant, condiderunt Aeniam, tum ad montem Ossam Aenum. Tertio loco Stephanus Aenum commemoravit urbem Thessaliae: quae quo loco fuerit nescimus quamquam videtur condita esse ab Aenianibus postquam e campo Dotio abierunt. De quarta quae postea Locrorum facta est eorum qui Ozolae dicuntur, non dubitaverim: circa eandem enim regionem aliquando consedisse Aenianes auctor est Plutarchus [5]). Quibus nescio an addere liceat quintam quae fuit prope Thapsacum ad Euphratem: certe Aenianes

---

1) Hellan. ap. Tz. Lyc. 1374. Etym. *Αἰολεῖς*.
2) Strab. 402.
3) Ps. Her. vit. Hom. 1. 2.
4) schol. Dion. P. 820. quamquam corrupta sunt quae ibi leguntur.
5) Plut. qu. gr. 13. 26.

scimus cum Alexandro in Asiam profectos esse cumque in varias Asiae partes eo tempore Graeci coloni deducerentur inter hos Aenianes quoque fuisse apud Diodorum [1]) legimus. Recte igitur de Aeno ad Hebrum statuisse videtur Stephanus. Pulsi enim e campo Dotio cum post varios errores in easdem regiones pervenissent in quas conveniebant qui in Asiam erant profecturi, his nonnulli ex Aenianibus quoque se videntur adiunxisse. Hos credo potissimum fuisse qui Aenum conderent in Thracia novumque e more gentis urbi nomen darent: nam ante id tempus Poltyobria ut supra dixi appellata fuit.

Haec mihi videtur esse origo urbis Aeni quam haud scio an Velleius [2]) significaverit eo quem supra laudavi loco. Verba enim eius haec sunt: „neque est quod miremur ab Homero nominari Corinthum: nam ex persona poetae et hanc urbem et quasdam Jonum colonias iis nominibus appellavit quibus vocabantur aetate eius, multo post Jlium captum conditae." Nam quod Jonum colonias dixit cum Aenus sit Aeolum, id non magnopere me movet. Solent enim Romani universos qui sunt in Asia Graecos Jones vocare quia horum urbes potentissimae clarissimaeque fuerunt.

Quintum addo ad quod non sine dubitatione pervenio: nam cum quodam modo simile sit eorum quae supra commemoravi, habet quoque quo differat. Aesyme urbs fuit Thraciae Thasiorum colonia [3]). Vocabatur etiam Oesyme corrupta ab Jonibus diphthongo [4]) et fuerat alia quoque nominis forma Aesymne, ut est apud Suidam et legebatur a nonnullis etiam apud Homerum [5]). Similiter apud Pindarum [6]) *διδύμνοις* est pro eo quod solet esse *διδύμοις* eodemque spectat quod Aesymnus quidam inter Graecos pugnans ab Hectore interficitur [7]). Sed antiquior videtur fuisse haec nominis forma: quare fuerunt qui Homeri illud ἐξ *Αἰσύμνηθεν* ad talia qualia sunt *αἰσυμνητήρ*, *αἰσυμνήτης* etc. referentes putarent de regio genere non de urbe dictum esse [8]). Armenidas vero [9]) narrat eam regionem in qua postea Oesyme fuit aliquando Bibliam vocatam esse. Et fuit sane tale nomen parti alicui Thraciae. Stephanus eam Biblinam vocat, Eustathius Bybliam. Notissima fuit propter vini

---

1) Diod. XVIII; 7.
2) Vell. I, 3, 3.
3) Thuc. IV; 107. Diod. XII; 68. Scyl. 27 a. Scym. 656.
4) Etym. *οἰδοῖα*. *βρόταχος*.
5) Suid. *Αἰσύμη*. Hom. Θ. 304.
6) Pind. Ol. 3, 35.
7) Hom. Λ 303.
8) cf. Etym. *Αἰσύμηθεν*.
9) ap. Ath. I, p. 31.

quoddam genus Biblinum [1]) sive quod praeferendum est Byblinum [2]) vocatum, cuius iam Hesiodus [3]) mentionem fecit. Sunt alia quoque prope mare Aegaeum loca quibus idem nomen fuit ut fons Biblis in agro Milesio [4]) fluviusque Biblus qui in insula Naxo est, pariter insignis vino Byblino [5]): nomen vero ipsum non ad ipsam Graeciam spectat, sed ad Phoenices, quorum vinum Byblium summis laudibus effert Archestratus [6]).

Phoenices igitur crediderim Thaso insula potitos in ea quoque Thraciae ora ubi postea fuit Aesyme vites sevisse atque sic nomen dedisse ei regioni Byblinae: in qua multis annis post Jones condiderunt Aesymen. Nomen vero Aesymes ab Jonibus datum esse videtur: est enim ejusdem radicis atque *αἶσα αἴσιος*, *αἰσυητήρ αἰσυμνᾶν αἰσυμνήτης αἰσυμνητήρ* similia [7]). Quod si ita est magna oritur dubitatio. Num Thasum Parii condiderunt circa Olympiadem quintam decimam: quo tempore si Aesyme vocari coepta esset Homerus qui eius urbis meminit [8]) multo infra eam aetatem vixisse putandus esset quam qua recte ut videtur solemus statuere. Quare non nego diffidere me huic meae disputationi, quamvis vix videatur statui posse nomen urbis non datum esse ab Jonibus. Accedit quod similis ratio est Maroneae, urbis in eadem ora Thraciae sitae. Cuius nomen etsi Homerus non habet, tamen non obscure significavit [9]). Fuerunt sane Jones in his regionibus antequam Phoenices abirent. Samothracen Samii dicuntur occupavisse non ita multo postquam Jones in Asiam pervenerunt. Recte etiam Moversius [10]) statuit colonos Tyrios qui Thasi essent cum a Thracibus bello premerentur neque adiuvarentur a popularibus confugisse ad auxilium eorum Jonum qui iam sedes haberent in insula atque ita cum summa rerum ad Jones transiret ab his conditam esse Thasum. Potuit igitur fieri ut Aesyme quoque iam ante Olympiadem quintam decimam habitaretur a Graecis nomenque haberet Graecum. Atque quamvis valde incerta sit haec via fateor me alio modo non intellegere quomodo Homerus hoc nomine uti potuerit.

Sed haec de Aesyme urbe dixi, quaestionem propositurus magis quam expediturus. Ceterum apparet non abesse ab Homero mentionem rerum quae inferiores sint bello Troiano. Novit enim poëta expeditiones et Boeotorum et Dorum ut qui illos

---

1) Steph. *Βιβλίνη*. Eust. *Δ* 641.
2) Herm. Eur. Jon. 1210.
3) Hes. E. 589. cf. Suid. *Βύβλινος οἶνος*. Bernh. Hes. *Βίμβλινος*. Etym. *Βίβλινος οἶνος*.
4) Paus. VII; 5, 5.
5) cf. Grüter de Naxo insul. II.
6) Ath. I; p. 29.
7) Eust. Hom. *ϑ* 258. k 445. *Ω* 357. Etym. *αἶσα*.
8) *Θ*. 314.
9) *ι*. 197.
10) II; 2, 279.

narret e Boeotia Troiam venisse Corinthique nomen habeat quam Dores condiderunt. Ex iis quoque quae post has expeditiones in Graecia acciderunt nonnulla indicavit Homerus. Sinties enim Lemni esse tradidit Aenique nomine videtur significare Aeoles e Graecia expulsos in Asiam venisse. De Jonum coloniis non pariter liquet. Ceterum ex eo quod Ephyren Corinthumque aptissime distinxit perspicitur voluisse eum Aenum vocare quamvis sciret mutatum id nomen esse post Troica. Boeotorum vero Sintiumque alia videtur esse ratio. Horum res si satis cognitas habuisset non dubito quin aliter de iis narraturus fuisset.